

**Prima pars exegesis de sententia verborum coenae consentiente cum scriptis apostolorum et purioris vetustatis.**

Expositiones nostrae haec erit series.

I. Primo loco veram sententiam de forma substantiali sacrae coenae per οὐ-  
 οπιῦ breuiter recitabimus. II. Interpretationes et modos inconuenientes prae- 5  
 cipuos examinabimus et detractis coloribus penitus eos denudabimus. III.  
 Quia non satis officiosum est vulnera denudare et attrectare, nisi etiam ratio  
 sanationis monstretur, proponemus, qua ratione ex nostro iudicio pia possit  
 sarciri concordia.

[10:] Antiquam summam rei recitamus, praemitemus has hypotheses, quae 10  
 vniuersae causae lucem afferunt, quia sacramenta sunt partes ministerij et  
 visibilia spectacula, per quae Filius Dei vsque ad consummationem ecclesiae  
 secundum ordinem a se institutum vult esse efficax in credentibus, conside-  
 remus ista duo: I. ipsam personam Christi colligentis sibi hoc modo ecclesi-  
 am, II. naturam istorum instrumentorum. Non dubium est regnum Christi in 15  
 hac vita esse tale, vt ipse sedens ad dexteram aeterni Patris per ministerium,  
 per verbum et sacramenta colligat sibi ecclesiam et in credentibus dato Spiri-  
 tu sancto sit efficax, vt ipse sit perpetuo mediator et sacerdos audiens et per-  
 ferens preces piorum ad Patrem, ex diuina potentia defendat ecclesiam 20  
 aduersus diabolum et organa eius et tandem eam resuscitatam ex morte ornet  
 vita et gloria aeterna. De ipsa persona Filij Dei vero ecclesia consentienti vo-  
 ce profitetur in Christo nato ex virgine copulatas esse duas naturas vnione  
 hypostatica, diuinam et humanam, sine confusione tamen vnus naturae cum  
 altera et quod proprie ad nostrum negocium pertinet. Credimus in Christo  
 post resurrectionem et assumptionem in coelos adhuc vere retineri naturam 25  
 humanam cum suis substantialibus proprietatibus corporis, etsi per glorifica-  
 tionem noua gloria et nouae aliquae conditiones accesserunt. Execramur igitur  
 deliria Eutychniana et enthusiastica,<sup>18</sup> quae fingunt humanam naturam a  
 diuina absorptam esse aut humanam diuinae exaequatam. Non etiam assenti-  
 mur illis, qui corpori Christi substantiales proprietates adimunt, etsi veritatem 30  
 substantiae interea tollere et negare verbis non audent. Quia vero multi  
 non solum ex sectatoribus Shuenckfeldij, sed etiam alij glorificatione excu-  
 sant multa absurda, quae ipsi affingunt, addimus hoc: Etsi fatemur nos non  
 penitus, quae sit conditio corporis glorificati perspicere, tamen sine vlla du-  
 bitatione hoc credere, quod etiam corpus Christi glorificatum et exaltatum 35  
 corpus adhuc sit et immotas vel specificas proprietates corporis retineat. Pro-  
 positio haec habet testimonia perspicua et irrefragabilia.

<sup>18</sup> Unter die „deliria Eutychniana et enthusiastica“ fallen für Curaeus vor allem die Christologie des Caspar von Schwenckfeld und alle Entwürfe einer realen Idiomenkommunikation. Zur Christologie Schwenckfelds vgl. Maron, Individualismus und Gemeinschaft, 52–66. Zur Christologie des Tilemann Heshusius, die Curaeus bei der Abfassung der „Exegesis perspicua“ vor allem im Blick hatte, vgl. Krüger, Empfangene Allmacht, bes. 293–355.